3 1761 06552738 4

BRIEF
BD
0010981

QUOMODO
SCHOPENHAUER ETHICAM
FUNDAMENTO METAPHYSICO CONSTITUERE CONATUS SIT,
DISSERTATIO.

QUAM

UNA CUM SENTENTIIS ALIQUOT CONTROVERSIS AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE XXIX. MENSIS OCTOBRIS ANNI MDCCCLXIV.
HORA XII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS LUDOVICUS KORTEN
RHENANUS.

ADVERSARII ERUNT

HERMANN PRANGE, stud. math.
CARL SANDER, stud. math.

HALIS SAXONUM.
FORMIS EXPRESSIT FRANCISCI DUNCKERI BEROLINI.

LIBRARY
MAY 12 1960
UNIVERSITY OF TORONTO

Bnaf
BD
0010981

PARENTIBUS DILECTISSIMIS SACRUM.

QUOMODO SCHOPENHAUER ETHICAM FUNDAMENTO METAPHYSICO CONSTITUERE CONATUS SIT.

Inter omnes philosophiae disciplinas nulla est, quae leviter consideranti tam simplex atque perspicua videatur, re vera autem tantis in difficultatibus versetur, quantis ethica. Etenim quid justum aut injustum, quid probum aut pravum sit, id unusquisque se scire putat; quas tamen quaestiones philosophi inter omnes praestantissimi penitus definire non potuerunt. In physica jam ad leges ab omnibus comprobatas progressi sumus itemque in logica nos leges cogitandi maxima ex parte explicasse non injuria gloriamur. At contra in ethica id non assecuti sumus, ut firma ab omnibus accepta principia statueremus, quae sua quisque ratione philosophus, qui suus est, componit, qua sibi optime videatur. Ea in re cur tanta dubitatio sit, causa non est, quod hanc disciplinam neglexerimus, quippe quam contra ex aetate Socratis omnibus disciplinis majori studio atque diligentia tractarent philosophi, ita ut Cicero in libris de officiis summo jure diceret: „Quis est, qui nullis officii praeceptis tradendis philosophum se audeat dicere?“ Potius est causa quaerenda ex difficultatibus, quae ethica ipsa praebeat.

Inter omnia enim, quae in mundo accidunt, sine ullo dubio nihil est tam universale, tanta vi et momento, quanta ethica, cui etiam vita humana, in quam omnes naturae varietates confluunt, subjiciatur oportet, ita ut ethica quasi corona mundi exsistat. Si igitur nobis id contingeret, ut fundamentum ethicae disciplinae penitus cognosceremus, eo forsitan tota quoque quaestio mundi obscura patefieret. Non solum autem, quod tot tantaque complectatur et comprehendat, ad ejus fontes accedere difficilius est, sed etiam, quod adjumenta, quibus ad hos fontes indagandos utimur, nulla in scientia minora se praebeant: in physicis enim rebus telescopium aperit regiones, quae a nobis longissime distantes oculos nudos fugiunt, partes mundi minutissimas, naturali oculorum aciei occultas, ostendit microscopium. Tum logicae id propositum est, ut cogitationes perscrutet, quibus quidem in perscrutandis conscientia animi humani pervenit ad perspicuitatem maximam, quae efficit, ut cogitandi quoque leges multo facilius explicare possimus, quam leges ethicas. Huc etiam accedit, quod judicium ethicum ex prima aetate partim exemplis noxiis partim imbecillitate voluntatis est obscuratum.

Praeclarissimis in nostrae aetatis scriptis ethicis id Schopenhaueri, quod inscripsit: „Die beiden Grundprobleme der Ethik“, numerandum esse apparet. Ex quo libro rursus, quae ille vir ingenio et animi amplitudine praestans assecutus sit, perlucet, qui quum singularibus in studiis versabatur, tum etiam maxime universas generis humani ideas semper in animo vegetas habebat. Jam vero quaeramus, num ei successerit conatus ethicae ad fundamentum metaphysicum, quod ei supponit, revocandae.

Schopenhauer misericordiam esse principium ethicae vult; quo dicto illis philosophis longe praestat, qui sententiam aliquam abstractam, quasi animo et vi carentem,

ponunt principium ethicae, quarum ex numero commemorabo illud Wolfii dictum: „Id maxime age, ut et te et alios reddas perfectiores et abjicias, quaecunque ad vitia adducunt!“ et Kantii: „Sic semper agas, ut agendi rationes tuae proponi possint communes omnibus et consentaneae leges!“ et Fichtii: „Vita humana est, quae ad legem moralem perficiendam ducat!“ Misericordia autem — sit exponit Schopenhauer — est res haud neganda, posita in hominis conscientia: primitiva et naturae ipsi humanae propria non nititur in praesumptionibus et notionibus, in religionibus et dogmatibus et fabulis, in educatione et disciplina, quamobrem omnibus in vitae conditionibus sustinet neque deest, omnibus in regionibus terrarum orbis, omnibus temporibus se ostendit, se ostendet, quare, quippe quae in uno quoque homine insit oporteat, ubique ea imploratur, ubique exposcitur neque usquam in diis peregrinis habetur.

Jam vero si misericordia cum intellectu conjungitur, exempta ex incertis sensus fluctuationibus, sibi meditandi vim assumit. Etenim secundum Schopenhauerum l. c. pag. 214. ed. II. nequaquam necessarium est, misericordiam vere in unoquoque casu moveri, utpote quo etiam saepe numero sero foret. Sed ex cognitione semel impetrata, quod quantumque malum, sensu quoque injuriae accipiendae magis ad auctum, quavis actione injusta aliis necessarie inferatur, nascitur in animis ingenuis regula: „neminem laede!“ quae deinde deliberatione et cogitatione confirmata id firmum proponit, ut jura omnium hominum observare neque laedere, crimen ipsum, quod auctor malorum aliis simus, a nobis remittere studeamus, deinde ut molestias et incommoda vitae, quibus per suam quisque conditionem et fortunam implicetur, per vim aut dolum a se in alterum non transferre, sed suam quisque partem sibi destinatam sua sponte, ne alterius pars duplicetur, sufferre contendat. Quam-

quam enim ratio consiliumque et cogitatio abstracta, ut Schopenhauer censet, minime ethicae fons sive fundamentum primum sunt, tamen eas ad recte bonisque moribus vivendum necessarias esse constat, veluti receptaculum, in quo mens, ex fonte omnis honestatis non semper fluente exorta, reservetur, ut, si ea adhibeatur oporteat, quasi per canales adducatur. Ex misericordia etiam affirmat Schopenhauer virtutes humanitatis et justitiae proficisci, quarum haec cupiditati sui, illa malitiae opposita sit. Fieri autem non posse verisimile est, ut ex eo fonte ducatur humanitas, quippe quae multo latius pateat et non solum misericordiam, sed etiam laetitiam, ex aliorum gaudio profectam, contineat; atque etiam religio christiana humanitati primum locum deferrens praescribit, ut cum laetis quisque laetetur, maereat cum maestis.

Illam vero laetitiam, ex aliorum gaudio profectam, Schopenhauer agnoscere non videtur, quum dicat l. c. pag. 237: „Felix, propterea, quod in felicitate versatur, nobis non cordi, potius is a nobis alienus est.“ Quo dicto non modo ethicam quandam humani animi indolem negat, sed etiam, quod quantumque humanitas et cura aliorum ad sensum nostrum valeant, nequaquam agnovisse videtur, quae quidem aequo modo laetitiam augeant et nobilitent atque misericordia dolorem deminuat mitioremque reddat.

Neque magis comprobare possumus, quod Schopenhauer ex misericordia repetendam esse existimet justitiam, cujus, ut judicari possit, utrum sit actio justa an injusta, proponit hanc formulam: „Die Grösse der Ungerechtigkeit ist gleich dem Schaden, den ich einem Anderen zufüge, dividirt durch meinen Vortheil, während die Grösse der Gerechtigkeit gleich ist meinem Schaden, dividirt durch den Vortheil des Anderen.“

Quo ex dicto efficitur, ut decies majorem injuriam faciat

is, qui quid pauperi subducat, quam ille privans divitem, cujus quidem opes decies majores sint: decies enim majorem dolorem pauperi jacturam afferre omnes intelligere possunt. Atque eadem ratione injuria a divite per furtum commissa eidem pauperis injuriae respondebit, qua amborum opes inter se sunt. Haec sane misericordiae conveniunt, sed non conscientiae juris. Namque ex theoria Schopenhaueri judicem, ut rectam ferat sententiam, primum utriusque res familiares et spoliati spoliantisque perscrutari, cujus rationis deinde ex quotiente per quotientem destinatae cujusdam rationis multiplicando poenam quacunque in causa praesenti constituere oportet. Qua ratione si judicaretur caedes, necessarium foret, ut aestimaretur, quanti vita caeso fuisset et testimonium a medico requireretur, quamdiu eum adhuc vivere potuisse verisimile fuisset, quae summa deinde illo commodo, quod caedes caedenti parasset, esset dividenda. Nec minus ad judicium adulterii faciendum amor mariti in adulteram et calamitas decepto marito illata destinari deberent, quo, quominus rectum judicium fieret, admodum impediretur. Eam vero rationem judicandi jus legale non respicit, sed furto sive exiguo sive magno, caedi tam felicis, quam infelicis et natu sive majoris sive minoris hominis omnino eandem poenam proponit. Nihilominus Schopenhauer jus legale in conscientia juris innata positum esse censet; quod tamen illi formulae, qua magnitudinem justitiae constituit, vehementer repugnat.

Praeterea haec formula, sicuti principium Schopenhaueri ethicum, i. e. misericordia, docet, felicitatem aliorum esse eam, quae sanctitatem alieni dominii nobis imperet, actionem autem, qua mancipium acquiramus et augeamus, haud ambigue hominum postulationibus, ut suum cuique jus tribuatur, non consentaneam esse: namque, si quis opes hereditate acceptas actione duplicet, vindicias suas in opes

primitivas dimiduo eum deminuere constat, quum poena, quae propter raptas eas repetenda sit, pariter imminuatur. Nihilominus auctor noster aliis locis actionem exponit causam, qua dominium vindicare possimus. Dicit enim in libro, quem inscripsit: Die Welt als Wille und Vorstellung, vol. II. pag. 682 haec: „Das Eigenthumsrecht entsteht allein durch die Bearbeitung der Dinge. Denn welches Recht hat der Jäger auf den weiten Wald, den er seine Beute verfolgend zufällig durchlaufen hat?“ Cujus opinionis argumentum in eo quaerit, quod, quamvis lege raptus ferarum non minus graviter, in nonnullis civitatibus etiam gravius, quam furtum pecuniarum puniatur, tamen fama civilis, quae hoc furto penitus perdatur, illo proprie non perdatur, sed praedo ferarum, nisi quid aliud commiserit, culpa quidem contaminatus, tamen, ut fur, infamis non ducatur eamque ob rem eius aditum et sermonem omnes non defugiant.

Nobis tamen non recte intelligere videtur, qui aut felicitatem aut actionem ponat causam dominii, quae quidem nonnisi inter se conjunctae virtutem honestatemque concipiant. Actio enim, quae non spectat ad felicitatem sive propriam sive aliorum, sine consilio igitur et fine est, naturae nostrae adeo repugnat, ut ultro eam actionem exsequi nequaquam valeamus, quam rectissime Graeci poenam existimabant tartaream eamque ad persolvendam habebant Danaides damnatas, quibus in dolium fundo carens perpetuo aqua fundenda erat. Et nosmet ipsi eum hominem, qui talia agat, vesanum dicere non dubitamus. Actio igitur sola nullo modo moralis possessionis causa esse potest, neque scio an Aristoteles recte doceat, qui, ut felicitatem et actionem arctissime conjungere studeamus, nobis habeat propositum.

Ergo misericordia, ut supra demonstravimus, neque ei, quod inest virtutibus honestatis et justitiae neque quod quantumque contineant, idoneum fundamentum praebere valet.

Ipsam vero misericordiam Schopenhauer metaphysice per doctrinam suam de communitate et universa omnibusque animantibus eadem potestate τοῦ Ego (Identität des Ich) constituere contendit. Affirmat enim, omnia singulis propria (das Individuelle) opinata ac simulata et essentialia tantummodo in re omnibus communi esse posita, cujus rei conscientia, quae non tam in mentis cognitione, quam in sensu nitatur, disjunctionem inter singula exstantem tolli et aliorum commoda, in quibus me ipsum agnoscam, mea fieri. Hanc doctrinam in sacris Vedis et apud Eleatos philosophos, tum apud Scotum Erigenam et Jordanum Brunum et Spinozam, denique in Schellingii philosophia eclectica ille reperit, quam tamen non tam firmissimam rem ponit, quam persuasionem, quae et dari et repeti possit, nam quum, ait Schopenhauer, res extra nos positae ex parte oculis pateant, latere nostrum Ego in occulto, neque ullum theorema a priori animum occultum mentemque e tenebris in lucem evocare et perscrutari posse. Sequitur ergo, ut ea ratio hanc rem fundamento metaphysico constituendi incerta in conscientia, ad perspicuitatem scientiamque non penetrata, nitatur. Attamen Schopenhauer aliis locis maxima fiducia ad ea tempora nos delegat, quibus fiat, ut haec res vere dicta appareat. Cfr. die Grundprobleme der Ethix ed. 2. pg. 275. Suspicionem igitur et conjecturam, ingenio et philosophia sua acceptam, pro certo dicit. Hoc vero ut crederet, quum τὸ Ego explorari posse negaret, adduci potuit, puto, conclusione: „Meum Ego explorari nequit nec minus tuum, quare eadem sunt“. Quod tamen argumentandi modum aliis locis vehementer reprehendit. Hac igitur ratione ethicae fundamento metaphysico constituendae eum explicando (per analysin) aliquid impetrasse et in litteris consecutum esse non invenimus; quam contemplantes nos id solum agere oportet, ut quaeramus,

utrum rationi ethice agendi respondeat necne. Non consentaneum apparet cum hac doctrina de communitate et universa omnibusque animantibus eadem potestate τοῦ Ego, quod de cujusque hominis moribus et natura („Character") doceat, quam perinde ponit in intelligibili, et hominis quasi medullam, omnibus in vitae conditionibus, a puero usque ad senectutem sibi constantem, declarat, ita igitur, ut inter hominis mores naturamque et τὸ Ego interesse non censeat. Attamen hominum naturas inter se differentes dicit, quod dictum doctrinae suae τοῦ Ego repugnare omnes intelligunt. Jam vero si natura humana accipiatur immutabilis et sibi constans, libertatem voluntatis humanae omnino non probandam esse constat. Qua de causa Schopenhauer libertatem in actionibus esse negat, quae tum ex pulsis externis, tum ex natura innata necessarie proficiscantur, eandem contra in τὸ Ego, quasi partem vitae nostrae sibi constantem, transfert. Discrepat igitur plerisque cum ethicae magistris, qui libertatem in actionibus, in τῷ Esse necessitatem esse arbitrantur. Illa si ita essent, meritum et culpa miram vim acciperent; quorum alter utrum, ut inquit auctor noster, accedit, prout mores et natura nostra innata in agendo perspicue et evidenter se praebeant aut actio naturae repugnet; unde exoritur poenitentia, quae quidem in partem vitae personis singulis plane propriam, apud alium aliam, cadit: proficiscitur vel ex inopia peritiae, quoniam mores et naturam nostram tantum agendo cognoscimus, vel ex libertate intellectuali deminuta per dementiam aut errorem, si v. c. introeuntem famulum habentes praedonem occidimus. Ea vero doctrina longe alio modo constituitur explicatio naturae nostrae ethica atque apud ceteros magistros: hi enim eam ad universales notiones morales manifestandas spectare volunt, ille ponit in parte personae, ubi fundamentum deest universale. Quo nobis fa-

cultas de agendi ratione aliorum judicandi paene omnino adimitur, quippe qui, quod si ita se habeat, de injustitia cujuspiam actionis non antea possimus decernere, quam agentis mores naturamque cognitam habeamus, quae quidem interdum demum multo post dilucide appareat. Formula etiam illa, qua Schopenhauer magnitudinem injustitiae computari vult, simul inutilis exstitit: Ex ea enim magnitudo injustitiae aequalis est incommodo a me alteri illato, divisa commodo meo atque, si etiam mores et natura innata nobis respicienda est, unus adhuc factor accedit; qua ratione computatio injustitiae impeditissima fieri nunquam nequeat. Deinde etiam jus legale, quod tantummodo principia universa sequitur, prorsus fundamento privatur ethico, ita ut, quod Schopenhauer affirmat, jus legale conditum esse in conscientia juris innata, minime nos intelligere fateamur. Neque minus per doctrinam de naturarum, quae hominibus insunt, differentia et immutabilitate fundamentum illud communitatis amittit poenitentia, quae quidem tum modo accedat, si actio nostra nostrae naturae et moribus non respondeat. Quod ut argumentetur auctor, quae nonnulli poenitentes homines jam capitis damnati confessi sint, addit, ut hoc Gomezi Hispani colloquium cum custodum praefecto: „Ich bin nicht so schuldig, wie man mich dargestellt hat; ich bin angeklagt, dreissig Mordthaten begangen zu haben, während ich doch nur sechsundzwanzig verübt habe. Von Kindheit dürstete ich nach Blut. Als ich 7½ Jahr alt war, erstach ich ein Kind; ich habe eine schwangere Frau gemordet und in späteren Jahren einen Officier, in Folge wovon ich mich genöthigt sah, aus Spanien zu entfliehen. Ich flüchtete nach Frankreich, woselbst ich zwei Verbrechen begangen habe, ehe ich in die Fremdenlegion trat. Unter allen meinen Verbrechen bereue ich am meisten folgendes: Im Jahre

1841 nahm ich an der Spitze meiner Compagnie einen deputirten General-Commissar, der von einem Sergeanten, einem Corporal und sieben Mann escortirt war, gefangen; ich liess sie Alle enthaupten. Der Tod dieser Leute lastet schwer auf mir; ich sehe sie in meinen Träumen und morgen werde ich sie erblicken in den mich zu erschiessen beorderten Soldaten. Nichts desto weniger würde ich, wenn ich meine Freiheit wiedererhielte, noch Andere morden.“ — Item Gualterus Scottus, quem quidem hominum naturas et mores sagacissime perspexisse nobis dicere liceat, poenitentem feminam, quum vita decedat, facit loquentem haec: „Geht und überlasst mich meinem Schicksale; ich bin das elendeste und abscheulichste Geschöpf, das je gelebt hat, mir selber am abscheulichsten, denn mitten in meiner Reue flüstert etwas mir heimlich zu, dass, wenn ich wieder wäre, wie ich gewesen bin, ich alle Schlechtigkeiten, die ich begangen habe, abermals begehen würde, ja noch schlimmere dazu. O, um des Himmels Beistand, den nichtswürdigen Gedanken zu ersticken.“

In his tamen exemplis cernitur fundamentum commune, quo poenitentia innitatur. Quamvis enim facinora istius Gomezi moribus naturaeque responderent, tamen species necatorum exagitantes ante oculos obversatae sunt, quod idem in confessione obeuntis feminae sceleratae observamus. Videmus igitur communem conscientiam moralem moribus naturaeque innatae adversantem atque discordiam et discrepantiam haud intelligendam fore in animo ingenioque nostro, si unaquaeque facultas, qua hanc repugnantiam tollamus, sit ademta, neque minus ex doctrina de naturarum differentia, qua ratione ethica se habeat ad logicam, ullo modo explicari posse, quia jam meditationis lex commutationes et singularia rerum externarum non respiciat, sed ad quamvis conditionem valeat eisque potius se ante ponat

et materiam per sensus oblatam legibus generalibus conformet, ethica vero natura, quippe quae summam vitae in se comprehendat ejusque omnibus partibus praeesse debeat, rursus omnino in partes personae proprias et singulares (das Individuelle) recidat. Quae quum ita sint, doctrinam de immutabilitate et differentia naturarum et cum Schopenhaueri ethica et cum communi quaque conscientia bene morata dissentire intelligimus; revertamur igitur ad τὸ Ego, de quo jam supra diximus, illud omnibus in rebus singulis repertum sibique ipsi aequale, atque hinc fundamentum ethicae Schopenhauerianae perscrutari conemur.

Schopenhauero persuasum est, conscientia, essentiam tantummodo in τῷ Ego positam esse, cupiditatem sui singulis propriam superari commodaque aliorum mea fieri. Quo dicto fundamentum omnibus commune et juris morumque rationi omnium consentaneum praebet, quod quidem majori spe perscrutari possumus, quam opinionem, qua ille immutabilitatem et differentiam naturarum innatarum quasi columen et firmamentum ethicae constituit. Primum tamen contra id nos dicere oportet, scientiae non fuisse propositum, reperire quandam caussam, qua supposita rationi convenienter et ethice agere possimus, sed eandem ipsam caussam, in qua conscientia nostra nitatur, indicare et e tenebris animi in lucem rationis evocare. Itaque de eo agitur, ut inveniatur, qua caussa v. c. ille Marcus Curtius commotus, quum salus patriae juberet, in voraginem se dejecerit, aut Leonidas cum copiis suis mortem oppetiverit, aut uxores Teutonum millies perire, quam ignominiose vivere maluerint, omnino de eo agitur, ut appareat, quod tot tantasque res gestas effecerit, quod civitates constituerit et sustentaverit, quod homines ad mores politiores humanioresque adduxerit. In conscientiae vero fundamento, qua doceamur, cuncta personae singularia nihil nisi opinabilia

et essentialia modo in τῷ Ego esse quaerenda, illas res gestas exstitisse, minime probare possumus. Jam industria, qua illi viri fortissimi ad diem supremum obeundum se exornabant, argumentatur, illos id non gessisse personam suam vitamque contemnentes. Neque ullo modo intelligere possumus, qua ratione ex eo, quod essentialia dumtaxat in rebus metaphysicis sita sint, efficiatur, ut unus promultis vitam profundat, nisi quis τὸ Ego in multis personis copiosius exstare putet; quo quidem τὸ Ego prorsus in singula et dividua et in personae singularia recidat. Sin autem naturam metaphysicam i. e. indivituitatem, unde appareat, τὸ Ego neque duplicari neque omnino multiplicari posse, retinemus, persona nostra non solum ceteris, sed etiam civitati universae eodem jure, eadem potestate induta se opponit. Metaphysicum igitur hoc fundamentum nequaquam idem se praebet, ex quo notionem civitatis eique consentaneas virtutes derivare possimus, qua quoque caussa commotus Schopenhauer eam fere totam omisisse mihi videtur. Id quidem attulit, cur ex re opinabili in nostrum Ego, i. e. essentiam nobis propriam, reverti deberemus, causam vero non aperuit, quae commoveret, ut rursus ex metaphysicis ad res opinabiles rediremus, quod pernecessarium esse omnes concedent, si aliorum rationibus ethice nos consulere oporteat. Ergo genus agendi ethicum ethicae cogitandi rationi, quae, a Schopenhauero impetrata, in universa rerum natura explicanda se tota collocat, quam maxime contrarium est. Atque etiam doctrina, qua ratione singularia se habeant ad τὸ Ego omnibus commune, virtuti, cui ille primum ethicae locum tribuit, i. e. misericordiae vim totam et significationem adimit, namque misericordia in vitae mutabili parte, metaphysicae naturae opposita, inhaeret et ad vitam humanam tantum pertinet, quantum haec opposita est metaphysicae naturae, cui nec desiderium nec dolor in-

sint. Si igitur singulis propria habet opinata et simulata, simulatam ponit totam ethicam: Metaphysica enim natura per se non continet aliquid ethicum, quod quidem tum demum accedit, quum quaedam ratio diversas personas conjungit. Ut ethicae igitur fundamentum firmum pararet, navem, in qua quasi vehabatur, naufragio pereuntem fecit. Denique vero in doctrina, τὸ Ego omnibus in personis idem esse, aliquid nequaquam invenimus virtuti, quam Schopenhauer excellentissimam existimat, misericordiae consentaneum, quae quidem in illa doctrina tamquam fundo inniti minime possit. Ex persuasione enim, τὸ Ego omnium hominum idem esse, censet proficisci studium, commoda nostra cum aliorum commodis adaequandi; quod tamen non efficit, ut ethica ex metaphysica derivari possit. Etenim si nobis naturaliter innatus esset non amor, sed odium in nosmet ipsos, ex persuasione, τὸ Ego omnibus in hominibus idem inesse, efficeretur, ut aliorum odium in se ipsos deberemus ducere nostrum eorumque vitae et felicitati quam maxime obesse conari. Schopenhauer igitur tantummodo indifferentiam ethicae ex metaphysica qualitate deduxit, quo tamen metaphysice misericordia et amor minime constitutus est et singulis personis propria radix restant, unde enascuntur.

Jam vero contemplemur, quantum ethica, si illo modo metaphysice constituatur, comprehendat et contineat. Auctor noster theoriam de τῷ Ego suam in Eleatarum disciplina reperit, qui omnia per sensus accepta esse opinata et multitudinem mutabilitatemque mundi negantes, in mundo tantum esse immutabilitatem et constantiam, judicabant. Adaequat igitur τὸ Ego hominum cum τῷ Ego mundi, quo ethicae termini demoventur ejusque circumscriptio in mundanam incidit, quare cuique animali, cuique plantae, quinetiam cuique grano arenae eandem cognationem ethicam

et quasi concentum et consensum eundem nobiscum concedere nos oporteat, quo cum ceteris hominibus conjungamur. Cui opinioni opponi potest, ethicam determinari misericordia, quam quidem tantummodo animantibus sentientibus patibilibusque tribuere possimus, ethicam ergo solum ad animalia spectare. Namque Schopenhauer quum τὸ Ego hominum cum mundano adaequet, ideoque etiam inter τὸ Ego bestiarum et inter nostrum Ego interesse non concedat, postulat, ut bestiae quoque, ut homines, ethice respiciantur, quae minori tantum ingenio a natura nostra absint. Nos autem ethicae ambitum in vitam animalem concludentes ad singulis propria revocamur eamque privamus fundamento metaphysico, quantumvis hoc grave sit et conscientia nostra ethica requiratur. Etenim hominem sceleratum capitis condemnantes juribus ethicis carentem judicamus nosque abdicamus in illum, quod omnibus praestare fas est, officio aliorum vitam et felicitatem non violandi; damnatum vero exterminantes ethicae nostrae comprehensionem deminuimus, quod propterea tantum nobis permissum est, quod sceleratus rectam vitae sibi propriae rationem ad conscientiae ethicae materiam metaphysicam laesit, unde perlucet, ut officia in alios nostra in ratione aliorum ad naturam metaphysicam innitantur et comprehensio ethicae fundamentum habeat metaphysicum. Ea etiam inde, quod in bestias extendatur, diversos gradus accepit. Schopenhauer enim bestias utilitati nostrae nos occidere licere affirmat et id solum aegre fert, quod ante trucidationem non imbuantur chloriformio. Metaphysicam vero naturam eandem esse in homine, quam in bestia. Quare fit, ut differentia officiorum in utrasque partes tantum ad singulis propria spectet et diversi ethicae gradus perinde metaphysice constitui non possint.

Deinde fundamentum metaphysicum, quemadmodum

sese habeat ad singulas persuasiones auctoris nostri ethicas, quaerentes reperimus theoriae ejus de libertate voluntatis humanae minime consentaneum: ponit enim libertatem, ut jam supra commemoravimus, in intelligibili, in τῷ Esse, actionem vero declarat necessariam, quae dependeat a lege de caussa et effectu eamque quidem et intelligentiae nostrae et omnino omnibus rebus externis imperare, causam vero spectare potissimum ad haec tria:

Causam propria et principali significatione esse eam (Die beiden Grundprobleme der Ethik. ed. II. pag. 29), per quam omnes mechanicae et physicae et chemicae rerum empiricarum mutationes fiant.

Alteram esse stimulum i. e. eam caussam, quae ipsa nullam effectioni suae respondentem vim contrariam patiatur, et cujus inter intensitatem atque effectus intensitatem nulla plane aequabilitas intercedat. Sequi ergo, ut hunc gradum effectus metiri et secundum caussae gradum destinare nos non liceat; potius enim posse stimulo paululum adaucto per magnum effici effectum, vel etiam vice versa priorem penitus tolli, immo oppositum afferri, veluti plantae per calorem et calcem humo admixtam ad incrementa quam citissime capienda adduci possint, quae caussae quasi vim plantarum vitalem stimulent, si vero idoneus stimulandi gradus paululum egrediatur, plantae vitam non adaugeri neque accelerari, sed extingui.

Tertiam caussarum moventium esse eam, quae animalium naturae insit, motivationem sive causalitatem, quae in intelligentia versetur. In serie animantium eam accedere, ubi animans, difficiliori corporis temperatione instructum, desideria multipliciora magisque varia teneant, quae jam non tantum stimulo commotum explere valeat, quae ad explenda potius subsidia eligere, capessere, quaerere posse oporteat. Propterea in his animantibus pro irritationis

accipiendae facultate substitui potestatem motivationes in se recipiendi i. e. cogitationem, intellectum alium magis alio perfectum et praestantem, qui corporeus appareat in nervis et cerebro, ex quo nascatur conscientia.

Discrimen vero, quo motivatio humana superior sit cuique animali, contineri ratione. Hanc in eo constare, quod homo non, sicuti animal solum perceptionis rerum externarum intuitivae compos sit, sed ex illa notiones communes deducere valeat, quas, ut conscientia retineat, verbis designet innumerabiliter connexis, quae quidem, quem admodum etiam notiones, ad mundum intuendo cognitum spectent, propria tamen sint, quod nos dicamus meditationem, qua solum genus humanum animantibus ceteris tantopere praestet et assecutum sit linguam, prudentiam, praeteritarum rerum recordationem, memoriam et curam futurarum, civitatem, literas, cetera. Hac facultate notiones mente fingendi carere bestias, quamobrem nullas habeant perceptiones, nisi intuitivas, praesentia igitur tantummodo eas cognoscere, in quibus versentur, et longe paucioribus permoveri motivationibus, quarum fortissima quaque regantur. Homini vero, facultate perceptionum non intuitivarum instructo, per quam meditetur suoque cum animo consideret, permulto latiorem patere circumspectum, quo absentia et praesentia et futura exploret. Inde fieri, ut complures motivationes eum commoveant, ex quibus, quae sibi videatur, idoneam deligat. Ultro vero hominem et bestiam non differre. Cogitationem enim, sicuti contemplationem fieri motivationes, simulut ad voluntatem valeant. Omnes autem motivationes esse caussas atque omnem causalitatem secum ferre necessitatem. Atqui hominem per cogitationis vim motivationes, quas ad voluntatem valere sentiat, ordine, ut ei libeat, variato et identidem animo et voluntati suae proponere posse, quod commentationem vocemus, qua quidem

ab hac parte ille se praebeat liberum, ab illa tamen non liberum se ostendat: liberum enim esse a directo coactu praesentium et in voluntatem motivando agentium rerum, quibus bestia simpliciter obnoxia sit.

At ex fundamento metaphysico, quo Schopenhauer ethicam per conscientiam nostram communitatis et universae omnibusque ejusdem potestatis τοῦ Ego niti conatur, doctrina de motivatione aliam vim accepit. Conscientiam enim mei Ego non extrinsecus, sed ex memetipso repetivi, ac si forte, ut cuique persuaderetur de communitate τοῦ Ego, aliorum persona esset necessaria, tamen hoc mihi non persuaderetur, nisi conscientiam mei Ego in memet ipso non reperissem. Itaque non solum res extrinsecus in nos invadentes aut notiones hinc repetitae ad agendum adducunt et impellunt, sed etiam motivationem ex nobis ipsis petere possumus: libertatem igitur retinemus faciendi, quae sive res extra nos positae sive natura ipsius sua cuique jubeant. Quum enim, ut Schopenhauer vult, res cogitandas nobis eligere queamus, motivationes nostro Ego repugnantes aut declinare aut paullatim earum vim ac potestatem adeo debilitare possumus, ut nostro Ego ipsi imperium deferre in nos nobis contingat. Ea ergo ratione magna illa series caussarum et effectuum est interrupta et homo per honestatem humanitatemque quasi triumphans res externas superavit, qua etiam discordia, libertatem tantum in parte vitae intelligibili esse positam, actionem vero subjectam necessitati, quae, quum res ita se habeat, cum intelligibili conjuncta nequaquam videatur, dissolvitur et libertas partis intelligibilis in agendo quoque perlucet. Item fundamentum metaphysicum, quod Schopenhauer ethicae supponit, cum doctrina sua de justitiae videtur discrepare. Proponit enim ille hanc formulam, injustitiae magnitudinem magnitudini noxae, quam alteri inferam, esse aequalem, divisam com-

modo a me accepto et justitiam incommodo meo aequalem esse, divisam alterius commodo. Decies majorem igitur facere injuriam eum, qui centum thaleros, quam qui decem alteri subducat. Qua ratione rursus gradus metaphysicae naturae, quae quidem sine ullo discrimine dividi aut adaugeri non potest, non consentaneos in ethicam inducit. Longe dilucidius contra metaphysica qualitas apparet in jure nostro legali, utpote quod ad pretium rei raptae nullum respectum aut minimum habeat. Pariter ex eo, quod caedes senis iisdem poenis, quibus infantis aut adolescentis, multetur, pretium vitae humanae ethicum non ex longitudine constitui patet, notionem igitur juris differentiis quantitatis dividuoque superiorem esse et ex metaphysica qualitate profectam. Notionem vero dominii non ex experientia esse exortam, sed insitam, quod nos dicimus a priori, primus argumentatur Kant, qui, quae illius natura metaphysica sit, in elementis doctrinae juris metaphysicis ed. II. pag. 59 ubi de meo et tuo disserit, quaerens possessionem, quaecunque nobis sit et quacunque ratione impetrata (physische Besitz), discernit a justa et legitima. Ait enim: „Wenn ich einen Apfel in meiner Hand habe, oder wenn ich auf einem Boden stehe, so sichert meine dynamische Gewalt den Besitz derselben, ohne dass ich sie deshalb im Sinne des Rechts mein nennen könnte. Besitze ich jedoch in letzterer Bedeutung ein Eigenthum, so bleibt dasselbe mein, auch wenn ich mich Meilen weit von demselben entferne und die Beziehung meiner dynamischen Gewalt auf dasselbe also zu Null wird. Hieraus folgt, dass das Eigenthum nicht meine Kraft zu seiner Grundlage hat, noch auch der Begriff desselben aus der Erfahrung fliesst, sondern apriorisch ist“, i. e. secundum Kantium ab metaphysica natura originem trahit. Dixerit fortasse quispiam, metum vindictae legibus constitutae esse, qui dominium a possessore

relictum tueatur. At vero dominio auctoritas non modo metu potestatis publicae, sed etiam conscientia bene morata tribuitur et ex eo, quod civitas potestate sua et imperio utatur ea ratione, quam haec conscientia petat, id solum agnosci potest, ut ipsa quoque in fundamento a priori condita sit.

In jure igitur legali, cujus fons et fundamentum est juris conscientia populo innata, multo altiora et naturae metaphysicae propriora elementa reperimus, quam nobis ethica Schopenhaueriana offert, atque hujus scriptoris indiligentiae tribuere debemus, quod, quum id maxime contendat, ut ethicam fundamento metaphysico constituat, quae in notione dominii metaphysica a Kantio detecta insint, praetermisit; qua philosophi illius praestantissimi observatione nobis forsitan datum esset, unde principium a priori omnibus in ethicae partibus per scientiam demonstraretur et quod solum jam inventum ad Kantii elementa metaphysica de doctrina juris ab opprobrio, quod essent opus miserabile, defendenda sufficeret.

Nec magis quam formulam, a Schopenhauero propositam, ut magnitudo injustitiae et justitiae judicari possit, ejus doctrinam de injustitia duplici metaphisice constitui posse arbitramur. Ait enim (Die beiden Grundprobleme der Ethik, ed. 2. pag. 220) haecce: „Es giebt aber auch eine doppelte Ungerechtigkeit, die von jeder einfachen, sei diese noch so gross, specifisch verschieden ist, welches sich dadurch kundgiebt, dass die Grösse der Indignation des unbetheiligten Zeugen, welche stets der Grösse der Ungerechtigkeit proportional ausfällt, bei der doppelten den höchsten Grad erreicht und diese verabscheut als etwas Empörendes und Himmelschreiendes, als eine Unthat, ein ἄγος, bei welchem gleichsam die Götter ihr Antlitz verhüllen. Diese doppelte Ungerechtigkeit hat statt, wo Jemand

ausdrücklich die Verpflichtung übernommen hat, einen Anderen in einer bestimmten Hinsicht zu schützen, folglich die Nichterfüllung jener Verpflichtung schon Verletzung des Andern, mithin Unrecht wäre, er nun aber auch überdies jenen Andern eben darin, wo er ihn schützen sollte, selbst angreift und verletzt. Dies ist z. B. der Fall, wo der bestellte Wächter oder Geleitsmann zum Mörder, der betraute Hüter zum Dieb wird, der Vormund die Mündel um ihr Eigenthum bringt, der Advocat praevaricirt, der Richter sich bestechen lässt, der um Rath Gebetene dem Frager absichtlich einen verderblichen Rath ertheilt, — welches Alles zusammen unter dem Begriff des Verraths gedacht wird, welcher der Abscheu der Welt ist. Diesem gemäss setzt auch Dante die Verräther in den tiefuntersten Grund der Hölle, wo der Satan selbst sich aufhält."

Haec vero rursus indifferentiae τοῦ Ego repugnant; ex qua metaphysicae naturae proprietate si Schopenhauer ethicam repetere voluisset, aut unitatem qualitatis metaphysicae cum multitudine conjunctam esse eum demonstrare aut metaphysicae naturae convenienter nullum discrimen in justitia singularum actionum admittere oportuisset. Contemplemur deinde, quae Schopenhauer de absoluta legis moralis necessitate, a Kantio proposita, judicaverit. Negat enim ille, absolutam necessitatem legis ethicae in natura humana esse conditam, cujus originem designat decalogum, in quo quidem, quae conditio hominem conjungat cum Deo optimo et maximo, naturae vitaeque administratore et gubernatore absoluto, exponatur, eamque ob caussam Kantio difficile non fuisse, demonstrare ex lege ethica, Deum esse. Nobis tamen quaerentibus, quo ex fonte Schopenhauer ethicam exhauserit, ea repudiatio necessitatis absolutae non tam penitus excusari videtur posse. Etenim quum singulis personis propria habeat opinata imaginataque et essentiale

tantum in τῷ Ego inesse censeat, hoc et pretio et gravitate longe superius est illis, quae nequaquam valeant praebere, quae vel aliquo modo qualitati metaphysicae adaequare possint. Inde autem efficitur, ut τῷ Ego nos subjiciamus necesse sit et ethica absolutam necessitatem in ratione nostra positam contineat. Praeterea τὸ Ego generis humani simul mundi τὸ Ego ponit Schopenhauer, cujus quidem vis naturam universam comprehendat et gubernet absolute. Explicare igitur etiam eum oportere omnes intelligunt, cur universale Ego in conscientiam nostram non obtineat eandem potestatem absolutam, quam τῷ Ego in naturam rerum tribuat, quippe qui vitam animi nostram legi de causa et effectu, per quam in natura manifestatur qualitas metaphysica, prorsus subjectam habeat, quin quidem eam explicationem nobis suppeditet. Verum tamen Schopenhauero plane assentimus, quod potestatem ex necessitate deduci posse negat. Et enim si natura metaphysica postulat, ut nos sine ulla conditione sibi subjiciamus, tamen vis voluntatis semper admodum circumscripta manet, unde fit, ut inter potestatem et necessitatem vix comparatio proportiove quaedam intercedat.

His, quae disputavimus, praecepta ethicae Schopenhauerianae principalia cum fundamento metaphysico, quod auctor appetit, contulisse videmur.

Reliqua, quae in illius opere legimus, partim quae diximus, amplius excutiunt, partim notiones definiuntur, quae fundamentum metaphysicum non attingunt.

Jam vero nobismet comprehendentibus, quem ad exitum pervenerimus, quaestionem ethicae fundamento metaphysico constituendae Schopenhauer nec explicando nec componendo (synthetisch) expedivisse videtur. Tamen id non tam ingenio auctoris minus philosophico, quam magnitudini conatus adscribere possumus. Nimirum academia Danica quae-

stionem, quam Schopenhauer solvere conatus est, proposuerat hanc: „Philosophiae moralis fons et fundamentum utrum in idea moralitatis, quae immediate conscientia contineatur et ceteris notionibus fundamentalibus, quae ex illa prodeant, explicandis quaerenda sunt, an in alio cognoscendi principio?“ Ergo summam ethices ideam evolvi et constitui voluit.

Ea vero quaestione, recte ad exitum adducta, omnino, quae hominibus in scientia proposita sint, persoluta esse auctor noster in exordio jure dicit. Doctrinarum enim inter se conjunctio et amicitia est tam intima et propinqua, ut fieri non possit, ut alia ab aliis separata explicetur neque ad unam omnes ad rationem ultimam revocentur, qua quoque ex cognatione singularum disciplinarum, ex quibus alia ex alia, ut ethica ab physica et logica, haec vero ab illis necessarie pendeat, nisi fallor, asseverare possumus, causam quandam principalem esse, in qua disciplinae singulae innitantur et summa ethicae idea etiam principium administrationis mundi esse cognitum. Quod ut confirmatum videamus, tantummodo nos philosophiae historiam contemplari oportet, nam conscientia, omnes scientiae partes ex eodem fonte proficiscendi, omnibus temporibus quasi pulsus erat altioris studii philosophici. Errabat igitur academia Danica, quum quaestionem proponeret, quam ad persolvendam omnes omnium temporum philosophi tamquam ad summum philosophandi finem frustra contendebant. Nihilominus Schopenhauer complura attulit, quae magnitudini hujus conatus respondeant: Summam enim, ut omnibus notum est, ideam sive rationem ethicae ultimam cum physica et logica adaequavit.

Nostrum non est, hoc loco perscrutari, utrum auctori nostro physicam et logicam ex causa illa principali deducere successerit, necne. Id tamen conscientia animi hu-

mani egregi confirmat, ut ethicae, physicae, logicae eadem caussa principalis sit, in qua etiam summa ethicae idea innitatur. Deinde vero singulae disciplinae, quamvis inter se conjunctae sint et alia ex aliis pendeat, tamen adeo differunt, ut ultima earum caussa in nulla alia re, ut Schopenhauer recte censet, nisi in abstracta natura metaphysica verti possit. Nec minus cum eodem, summam ethicae ideam in nostro Ego quaerente, consentimus, quod sedes tam intelligentiae, quam omnium animi motuum sit, quod conditioni, qua potestatem in omnes animi partes ethica teneat, prorsus respondeat. Item indifferentia τοῦ Ego ad ethicae universalitatem fundamento metaphysico constituendam peridonea est, quippe qua disjunctio, quam cupiditas suo commodo serviendi inter singulos homines efficit, extollatur. Id solum nobis dolendum est, quod Schopenhauer in natura metaphysica non plura ethicae consentanea detexit, quo ei forsitan contigisset, ut, quae quantaque in se ethica comprehenderet, certius fundamento metaphysico constituisset. Itaque ex illius libro, quantopere summa conscientia metaphysica contendat, ut perspicue appareat et per scientiam se constituat, nobis elucet; nondum tamen tempus videtur advenisse, quo philosophia, quaecunque in mundo apparerent, in eandem ideam comprehendere valeret. Num vero singulae disciplinae jam eae sint, ut hunc ad exitum nos perventuros sperare possimus, hoc loco amplius perscrutari omittamus.

Etenim nobismet quaerentibus, qui quantusque Schopenhauer fuerit, ut tanta perficeret, eo ingenio non videtur fuisse praeditus: Et si enim nonnunquam eodem magno Platonis ingenio velociter assurgere videatur, tamen in illo non inest philosophice observandi facultas, qua quum alii tum maxime Kant excellit, qui ubique in rebus mutabilibus et immutabilibus vestigia qualitatis metaphysicae reperire

et persequi sciebat. Sic enim principium ethicum, a Schopenhauero positum i. e. misericordiam, non minus quam justitiam illinc derivatam in se ne minimam quidem naturam metaphysicam comprehendere videmus, — inde igitur per explicationem ad fundamentum metaphysicum pervenire auctor non potuit — legem vero moralem Moseiam, quam quidem omnes Europae nationes agnoscant, et in ea conditam juris legem tantum naturae metaphysicae continere, ut forsitan fieri non posse nequaquam arbitremur, ut inde, quae naturae metaphysicae insint, per explicationem expediri possint.

Discordia est igitur et lacuna in ethica Schopenhaueriana inter morum doctrinam ejusque fundamentum metaphysicum, quam auctor explere non poterat; qua de caussa facultatem singulis in rebus et mutabilibus naturae metaphysicae reperiendae aut in res finitas et singulares inferendae ei abjudicamus. Neque minus eidem Aristotelis vel Hegelii facultas deerat ea, quae studio philosophorum post hominum memoriam investigata essent, satis judicandi et agnoscendi, quamvis ad summum philosophiae propositum absolvendum pernecessaria videretur.

Si denique scribendi genus spectamus, quo Schopenhauer persuasiones suas ethicas exprimat, illius congruentiam et aequalitatem eo magnopere turbatam esse non possumus non concedere, quod auctor omnino via explicationis (auf analytischem Wege) procedit, ab ea vero in conatu ethicae fundamento metaphysico constituendae discedit et fundamentum ethicae supponit in experientia non conditum.

Singulae tamen disputationis partes significant quandam formam ingenii gravem et sanguinem, quem haud scio an habuerit nemo nisi antiquitatis philosophi; de qua re etiam Immanuel Hermann Fichte (vid. System der Ethik,

Tom. I. pg. 395) judicavit. Ait enim: „Das Eigenthümliche von Schopenhauer's Lehre trägt seinen Vorzug weniger im Ergebniss selbst, als in der Darstellung des Weges, auf welchem er dazu gelangt, im einschneidend energischen Vortrage, mit welchem er seine Ueberzeugung mehr erstreitet, als ruhig entwickelt und beweist. Er drängt gleich einer einbohrenden Spitze in einer einzigen Richtung vorwärts, ohne nach rechts oder links zu sehen."

Ceterum judicium, quod Fichte de ethica Schopenhaueriana fecit, potissimum ex ipsius sententiis fluxit, quod idem ceteris in illius operis judiciis auctorum Cornhill, Baehr aliorumque animadvertimus, quare non fuit, cur ea amplius persequeremur, quum modo operam daremus, ut, quoad fieri posset, in libro Schopenhaueri ipso tam concordia quam repugnantia demonstrarentur.

VITA.

Henrico Ludovicus Korten, fidei evangelicae addictus, Vesaliae pridie Nonas Junias anni MDCCCXXXIII natus sum patre Henrico, matre Fridericia e gente Kreuzberg.

Puerulus in schola elementaria eruditus gymnasium Vesaliesne adii, unde quidem ordini tertio adscriptus jam discedere debui, quod ophthalmia implicatus sum, qua cum maximo meo dolore uno anno post oculis captus in tempus incidi, quo in litteras altiores incumbere mihi parum licuit. Nihilominus amor litterarum in me nunquam exstinctus, sed semper potius auctus est, ut testimonium maturitatis academicae mihi parare constituerem. Sed a consistorio regio Rhenano petens, ut ad examen admitterer, repulsam tuli, quod id in modum legitimum sustinere non possem. Quo facto ante hos quatuor annos Berolinum profectus et civis academicus factus in album philosophicum relatus sum. Altero studiorum semestri exeunte testimonium maturitatis academicae in gymnasio Joachimico adeptus sum, postquam me denuo rogantem summum ministerium ad examen admisit.

Primo semestri me docuerunt Ill. Trendelenburg logicen et jus naturale, Cel. Helfferich psychologiam, Cel. Gruppe introductionem in philosophiam

Altero semestri in historia philosophiae al. Ill. Tren-

delenburg eruditus sum reliquam operam in disciplinas scholasticas impendens.

Tertio semestri praeter historiam philosophiae recentioris ethicamque philosophicam ethicam Christianam Ill. Twesten magistro usus addiscere studui.

Tum ad litteras physicas et mathesin ut philosophiae fundamenta animum applicavi, sed quum propter caecitatem scholis physicis et mathematicis minore cum commodo interessem, ad studium privatum reiectus sum.

Praeterea historiae, quae mihi aeque grave philosophiae fundamentum esse videtur, operam navavi, sed maiorem privatim quam in scholis publicis, quia nihil calamo excipere poteram. Itaque solum Ill. Droysen de historia antiqua disserentem audivi.

Denique postremis semestribus maxime scholas philosophicas Cel. Meyer frequentavi, qui et orationis suavitate et magna in docendo posita industria me valde cepit.

THESES.

I. Omnium disciplinarum philosophicarum ethica difficillima censenda est.

II. Qui in ethica multum proficere vult, eum etiam eximiam mentem ethicam habere necesse est.

III. Schopenhauer problemata sua ethicae principalia in maius celebrat.

IV. Principium administrationis mundi tantum ex τῷ Ego explicari necessarium est.

V. Principium administrationis mundi tantum esse metaphysicum potest.

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

BRIEF
BD
0010981

01 11789

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 10 01 15 01 006 1